



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Austregisilus C. 20. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

20. Maii. VITÆ SANCTORUM. 327

*Quid amabilius verecundo adolescente?
quàm pulchra hac gemma morum in vita
& vultu illius? quàm vera & minime
dubia bona nuncia spei, bona indolis in-
dex? Quid ita turpiloquii & omnis turpi-
tudinis fugitans? soror continentia est.*
S. Bern. serm. 86. in Cant.

S. AUSTREGISILUS C. 20. Maii.

Purpuratum è Regiâ Francicâ Magi-
strum dabimus stantibus in bivio, &
de devinitatis erga se consilio incertis.
AUSTREGISILUS is est, qui à parenti-
bus ad curam posteritatis impulsus, post
longam frustrationem, trium Dynasta-
rum nomina totidem membranis in-
scripta aræ imposuit, ad quam trinoctio
pervigilaturum se spondit, eum deinde
socerum optaturus, cujus sibi nomen for-
tito obtigisset. Verum altera ei nocte som-
nus obrepit, sed qualis esse solet divina
patientium: videre enim sibi visus est
Cælites duos de suo cum Justi judicis fi-
liâ conjugio colloquentes. Eum judi-
cem dum vigil postea inquit, vocari
ad sacerdotium se, curamque Ecclesiæ
intelligit, quæ scilicet ipsissima Justi ju-
dicis filia est. Neque displicebat condi-
tio à re uxoriâ abhorrenti: injecta ta-
men, mali dæmonis invidiâ, aliquan-
tilla properanti mora est. Betellinus qui-
dam repetundarum postulatus AUSTRE-

X 4

GISILY

GISILI nomen apud Guntramum Regem detulit, calumnia tam speciosa, ut duello purganda fuerit. Ad id diversis se luctatores studiis Præparabant. **A**USTREGISILUS placare precibus Numen, argentum omne in pauperes effundere, suis se virtutibus magis, quàm armis involvere. Calumniator generosissimo confusus equo, dum divinâ vi obtorpescētem fodit calcaribus, ab eodem efferato effusus animam exhalavit. Nemo dubitavit **A**USTREGISILO eum pœnas dedisse; qui eâ cura liber, à sponsæ suæ (Bituricensis Ecclesia fuit) ex voto Episcopus obtigit. Pro dote calum accepit an. D C. XI. nobis quoque appetum, si exemplo ejus non tam diu, quam cum Deo deliberaverimus, quod statuendum est semel. *Ex Surio.*

Si voci Dei tui præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu dicas cum Samuele, Loquere Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico; secretum consilium secretum querit auditum. S. Bern. Ep. 107.

S. HOSPITIUS C. 21. Maii.

HOSPITIUM qui videsset, omnibus coopertum sceleribus crederet; qui nosset, simulachrum esse virtutis pronunciaret. Tanti est, bonum virum ex cultu